

P V I S

1 6 0 4




EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS,

*M. 12*

*v. b. III.*

2





e.  
5  
4

*Pericope*

DOCTRINA=  
RVM EXAMINIS  
THEOLOGICI D.  
PHIL. MELAN-  
CHTHONIS

*In Aphorismos, vel The-  
ses distributa, vel itatio-  
nibusq; scholasticis mo-  
destè agitata &  
disputata*

ab

Alumnis Gymnasij Illustris,  
Ppr. Anhalt.

Præside

*Alberto Voito Borusso.*

SERVESTAE

Typis Ioh. Schlerij. Anno 1602.

v 5



**Pro confirmatione** Thesium sequentium  
singularum adhibe testimonia utriusque  
Testamenti allegata ad Resp. Quæstio-  
num Catechismi Ursini & ad Aphori-  
smos doctrinæ Christianæ ex instit. Cal-  
vini à I. Piscatore, &c. Quartæ vel ultimæ  
Editionis in 16.

**Sedes verò præcipuorum locorum & con-  
troversiarum in Scriptis PATRVM vi-  
deris in libello, cui Tit. Loci aliquot com-  
munes, &c. Per Ioannem Chaffanionem,  
&c. apud Chouet. 98. 8.**

**Deniq; argumenta in Catechismo Ursini,  
Item in Examine Tomisq; obiectionum  
& Respons. Reverendi & clariss. D. Pe-  
zelij contenta ad Syllogismorum figuras  
& modos exigantur, solutionesq; Logi-  
cæ diligenter observentur.**



T H E S E S  
DISPUTATIONIS I.

*De Deo Patre.*

I. THESIS.

**D**E DEO REBUSQUE DIVINIS adeoque de Theologia, & Religione disputaturi, ne non vel umbram methodi sectemur, usitatam distinctionem præsupponimus, inter doctrinam de Dei Essentia, & Volunte ejusdem, ad quos quasi fontes, rivuli doctrinarum sequentes revocari possint.

2. Essentiam quod attinet, Tres sunt in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus, & hi tres unum sunt.

3. Atque hanc unitatem in Trinitate, eandemque Trinitatem in unitate Deum esse, cum tota sacra Scriptura Orthodoxaque antiquitate, & Catholica Ecclesia credimus ac confitemur.

4. Deus est Essentia spiritualis, intelligens, &c. Vel: Deus est spiritus simplicissimus, infinitus, æternus, immutabilis, Omnipotens, summè sapiens, bonus, clemens, misericors, iustus, sanctus: condi-

tor coeli & terræ, & omnium quæ in illis conti-  
nentur, redemptor & sanctificator electorum suo-  
rum.

5. Hi, inquam, tres, Pater, Filius, & Spiritus S.  
sunt quidem tres illi hypostases, seu personæ distin-  
ctæ, quarum una quæq; est Deus, attamen non sunt  
tres Dii, sed essentiâ, numeroq; sunt unus ille ve-  
rus Deus, qui in scripturis Iehoua nominatur.

6. Essentiam dico, quod revera est, etiamsi sit  
communicatum, græcè ὁσία dicitur.

7. Personam autem voco subsistens, vivum, indi-  
viduum, intelligens, incommunicabile, non su-  
stentatum ab alio, græcè ὑψίστην δύναμιν nuncupatur.

8. Differunt inter se, quod Pater à nullo est: Fili-  
us est à Patre per incompræhensibilem atq; ineffa-  
bilem generationem. Spiritus sanctus verò est à Pa-  
tre & Filio per incompræhensibilem atq; ineffabi-  
lem processione.

9. Ita Pater est prima persona divinitatis, non na-  
ta, nec aliunde procedens, sed quæ ab æterno genu-  
it Filium imaginem suam, & à qua procedit Spiri-  
tus sanctus.

10. Huic personæ κατ' ἐξοχλήν tribuitur opus crea-  
tionis.

11. Creare est ex nihilo aliud aliquid facere. Pez. II.  
part. 1. obiect. & Casmann. Cosmopoe. pag. 121.  
Zanch. de operib. 6. dier.

12. Gignere verò est alium de sua essentia gignere.  
De hac & seq. duabus Disput. vide cùm alios, tum  
Zanchium de tribus Elohim. Item de Natura  
seu



seu Attributis Dei, &c. Item eiusdem Zanchij  
ad cuiusdam Arriani libellum, &c. Responsio-  
nem &c. Neostadij 86. 4to. NB.

Item scripsit & Zegedinus de Trinitate. Danæus  
contra Genebrardum &c. Geneu. 78.

Vide item Calvinum Orthodoxum D. Parzi Neo-  
stadij 95. &c.

---

I I.

## *De Deo Filio.*

I.

**F**ilius Dei unigenitus est secunda persona  
divinitatis, quæ est substantialis & inte-  
gra imago æterni patris, quam pater ab  
æterno gignit, & quæ nobis sic manife-  
statur, quod sit persona, per quam pater  
dicit decretum, & totum ordinem creationis & re-  
parationis hominum & mittitur ut patefaciat Eu-  
angelium, & assumat humanam naturam, & sic  
unicus Mediator, Redemptor, Iustificator, & Salva-  
tor.

2. Hæc persona dicitur λόγος à Ioh. cap. i. v. i.  
Quia est persona proferens Euangelium ex sinu æ-  
terni Patris, & conservans ministerium Euangelij,  
dicitur etiam Christus, hoc est, unctus.

3. Iste igitur λόγος ita assumpsit humanam  
naturam in Matia virgine, ut huic personæ  
soli, quæ est λόγος, hæc massa humanæ naturæ  
unita sit unione hypostatica.

A ;

4. Nec

4. Nec enim ita tantum adest λόγος huic naturæ assumptæ, ut cæteris omnibus creaturis aut beatis Angelis & hominibus in hac & cœlesti vita: sed tali unione eam sibi univit, ut λόγος sustentans hanc massam & ipsa massa sustentata unum sit ὑφιστάμενον.

5. Propter hanc unionem arctissimam fit, ut proprietas uni naturæ conveniens tribuatur personæ in concreto, quæ prædicatio seu attributio communicatio Idiomatum dicitur, Cassianus etiam Synecdochen rectè appellat.

6. Naturæ communicant sibi in concreto, non in abstracto.

7. Concretum significat personam seu subsistens ὑφιστάμενον, ut Filius λόγος, Deus & homo.

8. Abstractum verò est natura secundum se considerata, ut humanitas divinitas.

9. Propositiones concretæ per particulam Secundum vel aliam æquipollentem rediguntur ad abstractas, ut: Deus est passus, scil. secundum humanitatem, hoc est, humanitas in Deo est passa, vel humana natura.

10. Id verò non fit in ijs propositionibus, in quibus Prædicatum est appellatio officij, ut Christus est mediator.

11. Nomina officij competunt toti personæ, non humanæ tantum naturæ, servata tamen cuiusq; naturæ proprietate,

12. Reliqua etiam de hac persona Iesu Christo, secundum doctrinam secundi articuli symboli Apostolici  
de

de Redemptione firmiter credimus & confitemur.

Vide Iosifæ Simleri 4. lib. de æterno Filio Dei & Spiritu S. adversus antitrinitarios. Tigur. 82. 8vo.

Zanchium de Incarnatione Filij Dei. Heidelbergæ 93. 8vo. NB.

Item Assertionem veræ doctrinæ de unitate Personæ &c. Et Refutationem Ubiquitatis &c. collectam à Talmanno & recognitam à Pezelio, Heidelbergæ, 89. 8vo.

Item Pezelium contra Hunnium, &c.

Item scripta D. Amlingi & Theologorum Anhaltinorum de Persona Christi, Servestæ.

Item colloquium Montpelgartense Bezzæ, de hoc & sequentibus aliquot locis.

Videatur etiam assertio S. S. Testamenti. Item Testamenti Christi Restitutio Iodoci Naum Hanovix 8vo.

Incisio capitalium Nervorum &c. Menzeri contra Sadaelem per Mathæum Martin. Sigenæ. 98. 8vo.

Item eiusdem Methodus de omnipræsentia Carnis &c. contra Philippum Nicolai.

---

I I I.

*De Deo Spiritu Sancto.*

I.

**S**piritus Sanctus est tertia persona divinitatis procedens à Patre & Filio & nobis sic manifestata

A 4

festata

festata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiã acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis ipse est.

2. Sunt autem hi motus, vel hæc dona Spiritus S. varia, eorumq; diversæ partes, quarum respectu varia habet in scripturis elogia.

3. Hinc enim vocatur 1. Spiritus *υιοθεσιæ* seu adoptionis. 2. Arrhãbo & sigillum hæreditatis nostræ. 3. Vita, seu Spiritus vitæ. 4. Aqua. 5. Ignis. 6. Fons aquæ vivæ. 7. Spiritus precum. 8. Oleum lætitiæ. 9. Paraclætus, hoc est, consolator. 10. Advocatus seu intercessor.

4. Deniq; Spiritus veritatis, sapientiæ, intelligentiæ, consilij, gaudiij, lætitiæ, timoris Dei, fortitudinis, gratiæ.

5. Ergo sua dona præstat & absolvit Spiritus S. docendo & illuminando nos. 2. regenerando. 3. coniungendo cum Christo. 4. regendo. 5. consolando. 6. confirmando: quæ officia compræhenduntur versiculis:

Spiritus ecce docet, renovat, iungitq; regitq;  
Solatur miseros, arrha salutifera.

6. Dona autem Spiritus S. sunt in duplici differentia. Alia communia pijs & impijs. Eademque rursus communia vel certis hominibus & temporibus, vel omnibus membris & temporibus Ecclesiæ. Alia propria sunt piorum.

Vide Zanchium de tribus Elohim part. 1. lib. 7. & part. 2. lib. 2. c. 5. & toto lib. 4.

Item

*De lege Divina.*

I.

**D**E Essentia Dei & Personarum divinitatis distinctione dictum est: sequitur de voluntate Dei patefacta in eius VERBO per partes scilicet Legem & Euangelium.

2. Lex Dei est eius voluntatis patefactio & declaratio, peculiariter ab eo promulgata, tum verum Dei cultum interiorem & exteriorem, tum omnia hominum in homines officia describens.

3. Et quanquam Legis distributionem altius quidem possemus rimari, & per partes diducere, quas recenset Zanchius, Fennerus, Piscator, Polanus: tamen in presentia retinebimus usitatam quandam distributionem. Est enim Lex communiter vel æterna seu immutabilis, quæ & moralis dicitur: vel temporaria.

4. Lex moralis est æterna illa & immota sapientia, &c.

5. Huius legis summa comprehensa est in Decalogo, quare nomine Decalogi utimur pro lege moralis.

6. Decalogus dicitur à *δέκα* & *λόγος*, ut per decem sermones totidem præcepta designentur Legiturq; ἡ δέκα λόγος, non nisi foeminino genere apud Græcos tam veteres quam recentes Theolo-

A s

gos,

gos, Philonem, Clementem Alexandrinum, Nazianzenum, Basilium, Nicetam, Cedrenum.

7. Dividitur Decalogus in duas tabulas: Prior de virtutibus & cultibus Deo immediate præstandis quatuor præceptis: posterior verò de cultibus mediatè Deo vel propter Deum immediatè à proximo exhibendis, sex comprehensa est præceptis.

8. Lex temporaria vel mutabilis est pars legis divinæ ad certum tempus saltem hierarchiæ, & politiæ lata. Huiusmodi sunt leges, quæ dicuntur Ceremoniales & Forenses.

9. Ceremoniales sunt, quæ externos gestus ordinant in sacrificijs.

10. Forenses seu iudiciales sunt de externa defensione disciplinæ.

11. Has leges temporarias scimus in nouo Testamento abolitas & extinctas esse, cum Hierarchia & Politia Mosaica, ita ut à Christianis omitti possint. Si quæ enim non possunt omitti ex illis Mosaicis legibus, pertinent ad moralem vel æternam.

12. Et si enim ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, adeò, ut, si iustificationem spectes, & moralis possit censerì abolita: manet tamen illa æternumq; manebit, & dicitur, atq; est æterna, immutabilis. atq; immota propter multas alias causas, fines & usus.

13. Quorum primus est, ut regat disciplinam externam & sanciat pœnas contra delinquentes.

14. Secundus est, ut intus in corde etiam accuses peccata,

peccata, & totam depravationem tam renatorum quam non renatorum, & demonstrat omnes esse filios iræ, nec posse Legi Dei satisfacere.

15. Tertius est, ut renatos doceat, qui cultus placeant Deo, hoc est, in vijs Domini eos instruat.

16. Cumq; ut dictum est, nemo hominum Legi divinæ satisfacere possit, & etiam iustitia Dei flagitet & requirat perfectam obedientiam, necesse est nos scire, quis & quomodo pro nobis legem impleat.

17. Idq; facit solus Filius Dei, & quidem quatuor modis.

1. Sua propria obedientia: I N S E.

2. Derivando in se pœnam: P R O N O B I S.  
(Vid. Polan. in Daniel. cap, 9: 24. pag. 186. & seqq. & Ioh. Piscat.)

3. Restituendo in nobis iustitiã & vitã æternã.

4. Sanciendo. Sicut dicit. Non veni solvere Legem sed implere.

18. Itaq; Lex rectè dicitur Pædagogus esse ad Christum.

Quæstio: An vera sententia Iosephi eiusq; ratio, quam affert, cur vox *νομος* non reperiatur apud Homerum?

De verbo Dei vel sacra scriptura vide infra locos Antipapisticos. Item Christophori Agricolæ Rhæti Antipistorianum propugnaculum. Et I. Disput. Antonij Sadaelis. &c.

De Lege Dei & Decalogo vide omnino Zanchij volumen Tractationum Theologicarum in fol. Anno 97. Neostadij. De

V.  
*De Evangelio.*

I.

**A**ctenus de Lege priore parte verbi divini: nunc de Evangelio.

2. Evangelium in lingua Græca significat sermonem res bonas & lætas nuntiāntem: & sic ea voce Apostoli usi sunt, sicut & Prophetæ sæpè in hoc argumento usi sunt peculiari verbo **אשור**.

3. Evangelium igitur est altera pars verbi divini, seu doctrina & prædicatio Pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi, ut Christus Luc. ult. definit. Vel: Evangelium est prædicatio pœnitentiæ, & promissio quam non novit, &c.

4. Multa sunt discrimina Legis & Evangelij, ut, quod Lex per Moysen data est: Gratia & Veritas in Evangelio per Christum facta est.

5. Huc accedunt 4. præcipuè alia discrimina.

1. Discrimen ab ipso doctrinæ genere, quo Lex est doctrina præcipiens faciēda, & prohibens ommittēda. Evangelium est concio de gratuita remissione peccatorum per & propter Christum.

2. Discrimen ab origine seu causa efficiente & formali tripliciter, vel ratione notitiarum & principij, unde doctrina utraq; originem trahit: vel e ratione, quatenus utraq; revelat & arguit peccatum, vel deniq; ratione promissionum.

3. Discrimen ab obiectis sumtum. Docet nos verbum  
bum



bum Dei ( ut Apostolus monet ) ὀρθοτεμεν , hoc est, rectè distinguere , ne videlicet vel margaritas ante porcos projiciamus , vel afflictis afflictionem addamus. Legis enim concio securis & præfractis: Evangelij verò balsamum contritis corde proponi debet.

4. Postremò discrimen ab effectis etiam sine explicatione perspicuum est, & in quotidiana experientia salutaris ad Deum conversionis agnoscitur. Lex iram operatur , Evangelium autem sanat , quæ secundum Poetam alioqui

Sanantur nulla vulnera cordis ope.

---

V I.

*De Peccato.*

*Verbo Dei<sup>1.</sup>*

**H**Actenus de *Lege* . sequitur de peccato , cuius Hagnitio ex lege, quæ ex privative opposito in collatione rectius intelligitur.

2. Peccati vocem derivant à pellicio , quod est in fraudem induco, ut sit peccatum vel peccatus, quasi pellicatus. Græcis verò ἀμαρτία dicitur, quasi μη ἀρτιον, hoc est, non congruens. A verbo ἀγρεύω. Alij propriè, dicunt, peccare esse à scopo aberrare. Hinc Cicero 3. Paradoxon. Peccare, sinqut, est tanquam transilire lineas, sicut & ἀμαρτανειν. Græcis compositum placet ab a privativa & μαρ-  
τειν,

ἄνω, quod est scopum præfixum assequi & attingere. Sicut Hebræis נֹדַף est item à scopo præfixo aberrare. Iudicum 20. v. 16.

3. Peccatum est quicquid est contra Legem seu voluntatem Dei, secundum illud Ioannis, ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία.

4. Cum qua breui definitione ferè congruit Melanchthoniana illa. Peccatum est defectus, &c.

5. Distributio peccati altius quidem posset repeti, & per partes speciesq; diduci, id quod fecerunt & veteres ex patribus, & recentiores Calvinus, Zanchius, Ursinus, Fennerus, Piscator, Polanus, &c. Quibus peccatum aliud est Diabolorum, aliud hominum. Et hoc rursus vel est primum seu primorum parentum lapsus, & ab Apostolo Paulo dicitur inobedientia & transgressio Adæ: vel est peccatum ortum seu posterorum, quibus alij alias addunt distinctiones, sed nos in præsentia contenti erimus vulgari diuisione, qua peccatum ortum scilicet aliud statuitur Originale aliud Actuale.

6. Peccatum Originale est reatus propter Adæ lapsum, & propter priuationem, &c. Paulo dicitur ἀμαρτία ὀνείσθη ἐν ἑαυτῷ.

7. Actuale peccatum est omnis actio pugnans cum lege, tum in mente &c.

8. Atque hæc quidem propria & genuina est peccati diuisio. Illam autem alteram distinctionem, qua peccatum aliud dicitur mortale seu regnans, aliud

aliud non regnans seu veniale, improprium esse  
dicimus, nisi accipiatur diuerso electorum & re-  
probiorum respectu.

9. Electis enim per Christum omnia peccata fi-  
unt venialia, tam originalia quam actualia: Re-  
probi contra omnia mortalia.

10. Per se verò peccatum nullum est veniale.  
Quoduis enim delictum meretur mortem æter-  
nam.

11. Adhibito igitur illo respectu diuerso in electis,  
& reprobis regnantia quidem seu mortalia peccata  
dicuntur omnia peccata in reprobis, originale &  
actualia, interiora & exteriora, propter quæ repro-  
bi æternæ pœnæ sunt obnoxij.

12. Non regnans peccatum in electis, quod no-  
minatur Veniale, propter quod non totaliter & fi-  
naliter amittitur gratia, Spiritus Sanctus & fides  
est in renatis in hac vita malum originis & dubita-  
tiones, &c.

Vide Zanchij volumen Theologicarum tract.

Partem 2. Exercit. Theol. Ursini p. 781.

De electione & prædestinatione vide cum alios  
tum colloq. Montpelgart. Bezæ.

I. Piscator. disput. Theol. oppositam A. Schaaf-  
manno Herborn. 95.

Item tractatus Bezæ, Polani. Perkinsij, &c.

Item Polani Analys. Malachiz.

Item

V I I.

*De libero arbitrio in homine.*

1.

**D**E peccatum (de quo præcedenti disputa-  
tione) vires hominis debilitatæ, & tan-  
tum non prorsus extinctæ sunt.

2. Atq; sic libertas etiam humana vo-  
luntatis, quæ erat ante lapsum facultas, qua pote-  
rat Adam in rectitudine qua conditus erat, manere  
& obedire Deo, & sine ulla coactione se à Deo a-  
vertere, planè est imminuta. *ad imaginem Dei*

3. Conceditur quidem omnes homines etiam non  
renatos habere post lapsum quoq; hanc libertatem,  
hoc est, voluntatem, ut aliquo modo possint regere  
locomotivam, & facere externa opera congruentia  
cum Lege Dei.

4. Veruntamen hoc addendum est, homines sine  
Euangelio & sine Spiritu Sancto non posse inchoa-  
re interiorem obedientiam præceptam in Lege  
DEI.

5. Nec posse eos deponere naturalibus viribus  
*ἐπιθυμία*, quæ nobiscum nascitur, quæq; nomina-  
tur mala concupiscentia, & mortem: nec posse ho-  
mines perfectè satisfacere Legi Dei.

6. Improbanda igitur Pelagianorum, quiq; hos  
secuti sunt, Monachorum falsa & impia opinio:  
qui

qui docuerunt, homines posse Legi Dei satisfacere  
viribus naturalibus, & mereri remissionem pecca-  
torum, & esse iustos Legis impletione.

7. Reijciendi etiam errores Manichæorum, &  
Enthufiatarum, quorum illi fingunt, alios homi-  
nes ortos esse à bono Deo, qui necessariò benefaci-  
ant. Alios à malo Deo, qui non possint conuerti.  
Hi verò, cum suis asseclis Anabaptistis & Stenck-  
feldianis, fingunt expectandos esse violentos raptus,  
qui hominem eticm repugnantem conuertant.

8. Neminem enim cogit Deus, sed docet per Ver-  
bum, per quod Spiritus S. mouet corda, & volun-  
tatem flectit, ita ut non repugnet voci divinæ, sed  
infert trepidationem, uti utcunq; assentiatur. (cum  
hoc loco coniungit I. Piscat. in Aphorism. Institut.  
Caluin, doctrinam de imagine Dei.)

V. Zanchij volum. Theolog. tract. Et Miscellanea  
eiusdem.

Item allegata ad finem præcedentis loci.

Præ cæteris Diuum LVTHERV M de Seruo  
Arbitrio.

---

## VIII.

### *De iustificatione.*



<sup>1.</sup> IN doctrina de iustificatione accuratè  
discernèda est iusticia Legis & Euangelij.

2. Illam sacræ literæ iustitiam Carnis

B

vocant,

vocant, hanc verò fidei: illa literæ, hæc verò Spiritus vocabulo notatur.

3. Iustitia carnis est obedientia externa iuxta omnia mandata Dei, quam homo etiam in hac imbecillitate naturalibus viribus utcumq; efficere potest.

4. Quanquam autem hæc diligentia in regenda disciplina externa seu gubernanda locomotiva non meretur remissionem peccatorum. Tamen summè est necessaria & quidem propter quatuor causas &c.

5. Prima causa est mandatum Dei.

6. Secunda est necessitas vitandi poenas.

7. Tertia causa est necessitas non offendendi aut turbandi alios.

8. Quarta, vt disciplina sit Pædagogus ad Christum &c.

9. Hactenus de iustitia carnis. Sequitur de iustitia Fidei.

10. Iustitia fidei est, qua iusti pronunciamur coram Deo: seu, quæ nobis imputatur propter Filium Dei.

11. Et quæ cum hac coniungitur **IUSTIFICATIO**, est acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis seu acceptationis gratuitæ, propter Filium Dei, sine cuius sanguine nulla fit redemptio.

12. Illa ipsa imputatio iustitiæ gratuita vocatur **GRATIA**, hoc est reconciliatio cum Deo per Christum & huic adhæret donum per gratiam, hoc est, sanctificatio & restitutio vitæ æternæ.

13. Hæc

13. Hæc verò omnia sola comprehendit fides in Christum, quæ est fiducia, qua credit unusquisque sibi verè remitti peccata à Deo, propter Christum, gratis, hoc est, non propter nostram dignitatem aut nostra merita. Vel. Est assentiri omni verbo &c.

14. Sola, inquam, Fides: non ut excludatur nostra pœnitentia aut reliqua opera & virtutes, ne adsint aut sequantur: sed propter has quatuor causas.

15. Prima causa est, ut adimatur omnibus virtutibus & operibus nostris meritum iustificationis, & ut tribuatur honos debitus &c.

16. Secunda causa est, ut conscientia habeant &c.

17. Tertia est, ut conspiciatur discrimen Legis & Evangelij &c.

18. Quarta, ut inuocatio fieri possit, quæ impeditur &c.

Vide Piscat. de Iustificatione libros duos oppositos  
Bellarmino Herborn. 95.

Item infra locos Antipapisticos.

---

## I X.

### *De bonis operibus.*

#### I.

**A** Fide iustificante, de qua superiori loco actum est, tam abesse bona opera non possunt, quam ab arbore boni fructus.

2. Suntq; bona opera illa actiones à Deo mandatæ quæ fiunt operatione Spiritus Sancti in

Et in renatis per fidem in Christum hoc fine, ut Deo obedientia præstetur, & proximus inde capiat emolumentum.

3. Dicimus igitur hæc opera esse necessaria non tam ad salutem consequendam: quam ut inde certissimum de vera fide & sanctificatione indicium sumi possit.

4. Nec dubium est placere hanc obedientiam Deo in conuersis propter Mediatorem, non propter dignitatem operum, quæ longè à perfectione absunt, & quibus adhærent sordes.

5. Manent enim etiam in renatis in hac vita peccata exteriora & interiora plurima, dubitationes de Deo, & eius verbo: malæ inclinationes, peccata ignorantia & omissionis & alia id genus.

7. Sed his tamen repugnant renati Spiritu, retinentes amorem Dei, fidem & inuocationem, nec contumaciter aut finaliter ruunt contra conscientiam, sed deplorant suam infirmitatem, petentes veniam, & credentes remissionem peccatorum per fidem in Christum.

7. Nunquam igitur planè excidunt è gratia Dei, nec planè amittunt Spiritum Sanctum, nec in eos cadit peccatum blasphemia, quæ est contra conscientiam oppugnare contumaciter agnitam veritatem à Deo patefactam: Perseuerare in Epicureo contemptu Dei: Et tandem desperare peccatorumq; magnitudinem meritis filij Dei anteferre.

Pro meritis operum. Vide 7. obiectiones Bellarmini Refutatas in I. Piscatoris volumine I. Disputatione



tatione XVI. p. 280. Thes. 46. Sigen. 96. &c.  
& infra locos Antipap.

X.

## De Ecclesia.

1.

**V**ocabulum ἡ ἐκκλησία est ἀπὸ τῆ ἐκ-  
καλεῖν vel antiquo κλέειν, significat  
apud Ethnicos scriptores coetum euoca-  
tium, seu coetum Voce praconis domo  
euocatum, ut certo loco conueniat: cuius Graecæ  
nationis vestigia non obscura patent in Hebraico  
קָהָל, hoc est, vox, quod cognationem habet cum  
קָהַל, hoc est, congregauit, vnde eodem sensu coe-  
tum sacrum in veteri testamento significatum legi-  
mus nomine קָהָל.

2. Inde igitur desumptum nomen Ecclesia trans-  
ferri coepit iam inde ab Apostolorum ætate ad coe-  
tum dispersum in toto orbe omnium eorum, qui si-  
ue seriò, siue simulatè Christianam religionem pro-  
fitentur. Vnde etiam Catholica dicitur Ecclesia:  
quanquam & particulares coetus, in quos ille vni-  
uersalis distribuitur hac nomenclatione designan-  
tur, vt cum Ecclesiam Testamenti V. & N. Item  
Ecclesiam Iudaicam, Christianam & multò par-  
ticularius Corinthiacam, Ephesinam, nominamus.

3. Vniuersalis igitur seu Catholica Ecclesia est v-  
niuersa omnium electorum multitudo, qui inde ab

B 3

initio

initio mundi fuerunt, sunt, & ad finem vsq; mundi erunt; cuius caput nullum aliud, nisi Christus: minime autem omnium Papa Romanus, qui est Antichristus.

4. Hæc distinguitur in militantem & triumphantem.

5. Militantis Ecclesiæ appellatione denotamus coetum verè credentium, qui adhuc in terris versantes cum peccato, mundo & Diabolo decertant, plurimisq; periculis, & calamitatibus expositi sunt, retinentes autem fidem & bonam conscientiam in castris Filij Dei manent, & contra omnes eius hostes fortiter pugnando vincunt: in qua victoria ad finem vsque vitæ perseuerantes, tandem cum illo læti triumphabunt.

6. Hæc cum distingui solet in Inuisibilem & visibilem, tum id non de speciebus inter se differentiibus, sed de vna & eadem Ecclesia accipi debet diuersa ratione. Inuisibilis enim, ut est in oculis solius Dei, dicitur propter electionem & fidem in corde, cuius nemo arbiter est præter Deum *καρδι-  
ογνώστην*. Visibilis, ut est aspectabilis hominibus, dicitur propter signa incurrentia in oculos & sensus hominum.

7. Est igitur Ecclesia visibilis in hac vita, coetus visibilis &c.

8. Huius signa, ex quibus cognoscitur in tali coetu Ecclesiam esse simul hæc tria sunt.

9. Primum est pura prædicatio integri verbi Dei, adeoq; consensus in doctrina Legis incorrupta, scil. in fundamento Secun-

Secundum, legitimus usus & administratio Sa-  
cramentorum. Tertium est exercitium sanctæ vi-  
tæ seu disciplinæ Ecclesiasticæ, & obedientia MI-  
NISTERIO debita secundum Euangelium.

10. Cum hoc igitur cœtu omnes saluandos ne-  
cesse est iunctos esse fide, confessione, inuocatione  
Dei, & voluntate seruandæ Ecclesiæ seu coniun-  
ctionis in Ecclesia.

11. Similitudinem autem rituum, qui sunt ab  
hominibus instituti, ad coniunctionem Ecclesiæ  
nequaquam æquè necessariam iudicamus.

12. Triumphans Ecclesia est, quæ ab omnibus vi-  
tæ malis, incommodis, insultibus peccati, mundi,  
& Diaboli liberata, in cœlis cum suo duce, capite,  
& saluatore IESV CHRISTO triumphat, æter-  
naq; quiete & gaudio perpetuo potitur.

#### COROLLARIUM.

Hæc ipsa nobis planè <sup>in</sup>visibilis: vt ita hæc mem-  
bra diuisionis non pauca inter se consentanea habe-  
ant: quòd, eùm sit contra leges distributionis, ad-  
huc dicimus Ecclesiam eandem esse numero, sed  
vberrate respectuum, quos habet, varijs MODIS  
tantum distingui, præcipuè in vniuersalem & par-  
ticularem, in visibilem & inuisibilem, in militan-  
tem & triumphantem.

13. Ad quam omnes pios electosq; agregatum iri  
confidimus in extremo iudicio, (secundum Fidem  
secundi & tertij articuli symb. Apost.) cùm  
Christus apparebit in consummatione mundi ad  
iudicandum; & mortuos resuscitabit, & homini-  
bus pijs dabit vitam æternam. 14. Im-

14. Impios autem homines & Diabolos conde-  
mnabit, ut sine fine crucientur.

Vide VVitakerum infra in locis Antipapist. & reli-  
quos. Item Danæi refut. ad libellum ab anonymo  
Libertino editum hoc titulo. Aduersus externam  
& visibilem Ecclesiam Vignon § 2. &c.

---

X I.

*De Sacramentis in genere.*

I.

**S**acramentum, ut docet Varro de lingua  
Latina, à sacro nomen sortitum, signi-  
ficat certam pecuniam, quam & is, qui  
petebat, & qui inficiabatur, apud Pon-  
tificem deponebat, & victus ea parte, quam deposu-  
erat, in pœnam iniustæ litigationis mulctabatur.  
2. Interprete autem Festo, Sacramentum dicitur,  
quicquid iurisiurandi sacratione interposita geritur  
3. Hinc sacramentum militare nuncupatum est,  
quo milites in verba imperatoris sui iurabant.  
4. Vnde per translationem Theologi hac voce ad  
designandos sacros ritus seu ceremonias utuntur,  
quibus nos Deo tanquam iuramento obligamur.  
5. Tametsi verò à patribus, qui latinè scripserunt,  
(nam Græci utuntur voce *μυστηρίον*) non rarò Sa-  
cramenti vox ad omne genus signorum, quibus res  
sacræ denotantur, adhiberi consuevit: tamen *σημα*  
*ἁγίων* seu peculiari significatione, denotat signa  
gratiæ

gratiæ Dei, quæ nobis in Christo offertur, & per quæ ista signa confirmantur.

6. Hoc igitur significatu Sacramentum, ut Ecclesia loquitur, est ritus diuinitus institutus additus &c. Vel est actio sacra, & quidem publica, constans certo verbo, ac sensibili signo, ad res spirituales significandas & fidem de promissione gratiæ obfirmandam, diuinitus instituta.

7. Itaq; finis princeps eiusmodi ritus est obfirmatio & confirmatio fidei, quæ nititur promissione gratiæ, eamq; sibi applicat. Vnde Sacramentum sine fide videntibus est ociosa, imò pernicioſa ceremonia.

8. Cum quo fine concurrunt & alij, ut nimirum hi ritus sint signa veræ Ecclesiæ, & confessionis: sint neruus publicæ congregationis, sint commonefactiones de gratiarum actione, pro meritis Filij Dei.

9. Duabus rebus constat Sacramentum. Re terrena, vel signo, quo nomine tum Elementum externū, tum actio seu ceremonia continetur: Et Re cœlesti, vel significata. Vel, ut patres locuti sunt, re sensibili, & re intelligibili: Specie externa, gratia interna: Forma visibili, Gratia inuisibili: Specie corporali, virtute spiritali.

10. In Sacramentis igitur præcipua ratio est habenda institutionis diuinæ, de qua intelligendum illud: Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum ipsum quoq; tanquam visibile verbum. Vnde Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum

diuinitus institutum. Si quidem durante Relati-  
one, cohærent res & signa, cessante separantur.

11. Porro Sacramenta vel sunt veteris Testamenti,  
vt circumcisio, agnus Paschalis &c. Vel sunt noui  
Testamenti, vt Baptismus, & cœna Domini.

12. Licet vero externis signis & ritu differant: re-  
bus tamen signatis prorsus eadem sunt. Illa enim  
Christum exhibendum significabant: Ideoq; illo  
exhibito cessant. Hæc verò exhibitum designant, i-  
deoq; ad consummationem vsq; seculi durabunt.

13. Missis igitur in præsentia factis ijs, quæ aboli-  
ta sunt, veteris Testamenti Sacramentis; agemus  
deinceps de ijs, quæ sunt noui foederis, & primum  
quidem de Baptismo.

V. infra locos & libros Antipapist. Et Instit.  
Caluin.

---

## XII.

### De Baptismo.

I.

**B**ΑΠΤΙΣΜΟΣ siue Βάπτισμα, παρὰ τὸ Βά-  
πτίζω: cuius primitiuum est βάπτειν,  
generatim mersionem, lotionem, & ablu-  
tionem quamcunq; denotat; sicut in illo  
versu oraculi, de ciuitate Atticâ pronunciato apud  
Plutarchum in vita Thesei.

Ἄσχος βαπτίζετ' ὕδατι δὲ τὸ ἅγιον ἔστω.  
Mergitur vter in amne. sed haud submergitur vnquam.  
2. Minus

2. Minus latâ vero significatione, pro purificati-  
onibus, asperſionibus & lauacris peculiariter po-  
pulo Iudæorum lege diuinâ iniunctis accipitur.

3. Planè autem ſingulari ſignificatu uſurpatur de  
primo noui Teſtamenti ſacramento, & hinc mo-  
dificatè totum etiam miniſterium Ioannis Bap-  
tiſtæ, nec non dona Spiritus Sancti, item calamita-  
tem & crucem deſignat.

4. Eſtq; Baptiſmus, inſtituta à Filio Dei merſio  
in aquam, facta per miniſtrum cum pronuntiatio-  
ne verborum. Ego Baptizo te in nomine Patris,  
Filij, & Spiritus S.

5. Baptizandi autem ſunt cum adulti, qui ad Ec-  
cleſiæ ſocietatem, veræ fidei profeſſione ſe adiun-  
gunt, tum verò infantes eorum, qui iam ſunt in  
Eceleſia.

6. Cumq; Baptiſmus non tantum ſit foedus in-  
fantium cum Deo, ſed etiam adultorum omni  
tempore: manifeſtum eſt, hanc ceremoniam non  
eſſe iterandam, ideoq; catabaptiſtarum deliramen-  
ta, cum plura alia, tum verò illa, quæ ſunt de in-  
fantibus non baptizandis, de adultis poſt Baptiſmũ  
lapſis rebaptizandis, impia eſſe conſequitur.

V. Colloq. Montpelgart. Bezzæ.

Pro Pædobaptiſm. &c. Vide cum alios tum Vr-  
ſini volum. tractat. Theol. p. 697. NB.

De quæſtionibus quibusdam huc pertinentibus Vi-  
de Quæſt. & Reſp. Bezzæ, Nec non eiufdem &  
Caluini Epistoſas.

Item Locos comm. Chaffanionis, ſupra citatos.

De Po.

*De Pœnitentia.*

I.

**H**Uc usq; de Baptismo : nunc de coena Domini-  
ca Disputatio erat instituenda. Sed D. Phil.  
Melanchthon interserit doctrinam de pœnitentia,  
quòd qui sacratissimo illo epulo dignè frui expe-  
runt, prius PROBARE se ipsos, de sententia Apo-  
stoli, oporteat, id quod absq; pœnitentia fieri non  
potest.

2. Quod igitur ad notationem vocabuli attinet,  
non obscurum est, Pœnitentiam nuncupatam à  
verbo pœnitere, quod est improbare, & rejicere  
quod antea placuerat, Quemadmodum & pœni-  
tentia propriè est reprehensio & improbatio consi-  
lij aut facti, quod antea probauimus.

3. Modificatè verò pro tota ad Deum salutari con-  
sione accipitur. quæ est mutatio mentis, & volun-  
tatis prauæ in bonam, facta per Spiritum sanctum  
& verbum: ita ut seriò doleamus propter peccata  
nostra, & Fide in Christum accipiamus remissio-  
nem peccatorum, reconciliationem, iustificatio-  
nem & viuificationem, & inchoemus nouam obe-  
dientiam.

4. Ergo partes pœnitentiæ sunt duæ; Contritio,  
& Fides, seu mortificatio & viuificatio, cuius ef-  
fectus & fructus est noua obedientia.

5. Contritio est pavor, ortus ex agnitione iræ Dei  
aduer-



aduersus peccata nostra, quem subsequitur dolor quod Deum offendimus.

6. Vtut verò necessaria sit contritio, tamen neque sufficiens esse potest, neq; remissionem peccatorum meretur.

7. Sola enim Fide, quæ altera poenitentiae pars, & de cuius definitione supra in loco de iustificatio-  
differuimus, gratis propter mediatorem Deo re-  
conciliamur.

8. Ergo satisfactiones & vota confessionesq; Mo-  
nasticae, Item purgatorium, & caetera huius fur-  
furis sunt merae nugæ, nec enumeratio delictorum  
apud. ministrum quicquam habet momenti ad im-  
petrationem veniæ apud Deum.

9. Deniq; noua obedientia seu fructus Fidei est, se-  
cundum Apostolum Paulum. Militare bonam mi-  
litiam, retinere fidem & bonam conscientiam (Ad  
hunc locum refert I. Piscat. in Aphorism. Instit.  
Caluin. doctrinam de tolerantia Crucis, de qua vi-  
de infra.)

V. infra locos Antipapist.

---

## XIV.

### *De Cæna Domini.*

I.



Cæna Domini est communicatio veri  
corporis &c. Vel. Est alterum noui Testa-  
menti Sacramentum quo actis Deo gra-  
tias

tijs, Pane & vino utimur ad profitendum, nos  
Christi corpore crucifixo sanguineq; fuso, & fide  
hausto, in æternam vitam sustentari.

2. Iteranda igitur est cœna Domini, quia est edu-  
catio Christianismi & perpetuum fidei alimen-  
tum.

3. Auctor verò, & Rex atq; hospes huius conuiuij  
est Christus Deus & homo.

4. Materia sunt signa externa vel elementa, Panis  
& vinum quæ analogicè sunt signatum, scilicet,  
corpus & sanguis Christi, Resq; interna.

5. Ut enim corpora nostra confectio corporeis or-  
ganis pane, & vino, viribus recreata, caducam vi-  
tam tuentur: sic animæ nostræ, Christi crucifixo  
corpore, profusoq; sanguine, per fidem aluntur ad  
vitam æternam.

6. Forma comprehenditur signorum & rei signa-  
tæ sacramentali coniunctione: vel, postulante fi-  
dem videntium vnione: item administratione, &  
vsurpatione, secundum institutionem Christi: nem-  
pe benedictione primùm panis viniq;, hoc est gra-  
riarum actione. Deinde vtriusq; Symboli distribu-  
tione, & sumtione.

7. Fines principes sunt mortis Christi ad illius  
gloriam seria commemoratio, & ad fidem no-  
stram confirmandam Christi & meritorum huius  
applicatio.

8. Minus principes sunt mutua fidelium eius-  
dem corporis membrorum communio, & dilectio.  
Item externa mutui consensus testificatio, publico-  
rumq; conuentuum conseruatio.

V. Tra-

V. Tractatum de Cœna Domini, & exegema argumentorum &c. Benedicti Talmanni recognitum à D. Pezelio Tiguri 86.

Item de sacro S. cœna D. tractatum eiusdem Pezelij Bremæ 89. NB.

Videatur item commonefactio Theologi de S. D. cœna, & eiusdem commonefactionis consideratio &c. Neostadij 83. Quæ etiam inter opera Ursini.

Item consensus Orthodoxus. NB.

Item Beza contra Hoffmannum.

Item Ioannis Fincierij scripta Eucharistica Herb. 94. 8uo.

Item locus de vnico Christi sacrificio aduersus MISSAM; Sadaélis, Geneuæ 81. 8uo. Extat idem scriptum etiam inter opera eiusdem.

Item Iodoci Nahum libelli supra, disputatatione 2. citati.

---

## XV.

### *De Inuocatione.*

#### I.

**I**nuocatio Dei est cultus Dei, per quem ipsum religiose appellamus.  
2. Estq; vel Petitio, vel Gratiarum actio.  
3. Petitio est inuocatio Dei, per quã bona necessaria animæ & corporis à Deo petimus: contra verò mala deprecamur.

Gra-

4. Gratiarum actio est inuocatio Dei, per quam Deo pro bonis animæ & corporis, promissis vel datis debitam reddimus laudem.
5. In inuocatione autem primò cogitandum est obiectum, hoc est, quid & quem Deum, ubi patefactum, inuocemus, ut discernamus nostram inuocationem ab Ethnica.
6. Esto igitur mens directa ad hunc unum verum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui se illustribus testimoniis ab initio mundi diuersis modis, locis, temporibus (ut in sacris literis est videre) generi humano patefecit.
7. Secundo considerandum est præceptum seu mandatum diuinum, nempe velle Deum sic inuocari & coli, & hâc ratione discerni ab omnibus creaturis.
8. Tertia consideratio est Conuersionis: vt scilicet inuocans animum inducat desistere à peccatis, & verè conuertatur ad DEVM.
9. Quarta consideratio est promissionis, quâ mens erigatur, & exuscitetur, ita vt cum fiducia ausit propter promissionem per CHRISTVM factam ad Deum accedere.
10. Cumq; promissionem sola apprehendat fides, quinta consideratio erit de Fide, quæ petat, & expectet bona spiritualia sine conditione: Corporalia verò cum conditione.
11. Sexta consideratio est rerum petendarum, vt scilicet petantur à Deo res non prohibitæ: Sed quarum petitio cum Decalogo, & promissionibus diuinis,

uinis,

minis de bonis spiritalibus & corporalibus congruit.

Vide infra locos Antipapist. & supra primam tabulam Decalogi.

---

## XVI.

### *De Cruce & calamitatibus.*

I.

**C**RUX propriè furcam seu patibulum denotat, in quo damnati affiguntur. (Lipsius lib. 3. de cruce) Modificatè verò accipitur pro ipsis cruciatibus & tormentis, & pro omni eo, quo quis torquetur, affligitur, cruciatur: & hoc significat Ecclesia cruci subiecta dicitur.

2. Estq; crux Ecclesiæ, conditio eius in hoc mundo, qua varijs periculis & afflictionibus exponitur, idq; singulari Dei consilio.

3. Causæ verò istarum afflictionum partim sunt impulsivæ, partim finales.

4. Impulsivæ sunt, cum Diabolus, qui odio Dei homines ad horribilia scelera impellit, & auget calamitates varijs modis: tum verò peccatum tam inhærens in natura, quàm plurima actualia delicta.

5. Ex finalibus quædam accommodatæ sunt ad testificandum, quædam verò ad efficiendum aliquid in nobis.

6. Quæ ad testificandum faciunt, vel sunt de presenti,

præsenti, vt de doctrina & de præsentiā DEI in liberatione ex magnis ærumnis, |vel de futuro, vt de extremo iudicio.

7. Quæ verò ad aliquid efficiendum aptæ sunt, faciunt, & vt conformes siamus imaginis CHRISTI: & vt in cruce crescant & exerceantur poenitentia, fides, inuocatio & tota Nouitas.

8. Et si verò magna est varietas calami tatum, cum quibus Ecclesia conflictatur: tamen ex his causis, impulsivis partim, partim finalibus summa quædam emergunt genera:

9. Vel enim sunt castigationes & vocantur *τιμοειαι*, vel aliam habent implicatam causam, vt nimirum vel sint probationes seu explorationes, & dicuntur *δοκιμασίαι*, vel sint testimonia de doctrina & nominantur *μαρτύρια*.

10. *Αὔτην* verò est obedientia solius capitis Ecclesie, CHRISTI.

---

## XVII.

### *De locis consolationum.*

1.



Adhuc de causis calamitatum: sequitur de locis consolationis, seu de remedio calamitatibus opponendo.

5. Ij verò partim sumuntur ex doctrina Legis, ideoq, ex monumentis etiam Philosophorum, quæ continent particulam Legis moralis,

lis, quodammodo noti sunt: partim verò sumuntur ex Euangelio.

3. Qui ex lege promanant, pertinent vel ad causas tam impulsivas quàm finales, vel ad comparata.

4. Ex impulsivis prima est necessitas, id est mandatum Dei, quòd præcipit, ut flectamus animos ad obedientiam in tolerandis aduersis, ne irascamur Deo.

5. Secunda est bona conscientia, quæ facit in medijs doloribus bono esse animo, & cum hac coniuncta est spes læti exitus.

6. Finales sunt, prima ne faciamus contra dignitatem virtutis, altera est utilitas cum propria, tum communis cum alijs.

7. Ex comparatis sunt collatio dissimilium euentuum vtriusq; fortunæ, quæ ostenditur præstare, pati afflictionem, quàm prosperâ, æquabili perpetuâq; fortunâ, secundo vitæ sine vllâ offensione cursu frui: tum verò exempla aliorum, qui similia passi sunt, ad quæ respicientibus nobis mitius ferenda est calamitas.

8. Et hæc quidem de locis consolationis legalibus seu Philosophicis: succedunt Evangelici.

9. Et hi quidem petuntur ab adiunctis bonis in nobis, quibus vel iam fruimur, vt sunt acceptio remissionis peccatorum & agnitio præsentis DEI in ærumnis: vel olim fruemur, vt sunt vltima liberatio ab omnibus ærumnis & salus sempiterna.

C.

De

*De libertate Christiana.*

I.

**L**ibertas Christiana est liberatio, qua credentes merito & efficacia Filij Dei verè liberi evadunt.

2. Huius libertatis, docendi causa, quatuor possunt constitui gradus, quorum priores duo concernunt res coelestes: posteriores vero totidem numero circa ritus Iudaicos & traditiones hominum veriantur.

3. Primus igitur gradus est liberatio à maledictione legis & condemnatione aeterna, qua gratis propter filium Dei donatur nobis remissio peccatorum reconciliatio, iustificatio seu imputatio iusticiæ & acceptatio ad vitam aeternam, & ipsa hæreditas vitæ aeternæ.

4. Secundus gradus est donatio Spiritus Sancti, qui novam lucem in mente & novos in voluntate & corde accendit motus.

5. Tertius est liberatio à ceremonijs & forensibus legibus Moysis, quod videlicet Christiani non sunt alligati ad politiam Moysis, aut vllam certam vnius gentis politiam: sed singulis locis parere magistratibus & legibus præsentibus debent, si modo leges istæ sint consentaneæ iuri naturæ, nec præcipiant aliquid fieri contra mandata Dei.

6. Quartus est in ritibus humanis seu humana aucto-



auctoritate factis in Ecclesia, de adiaphoris: vel est liberatio à traditionibus humanis in Ecclesia.

7. Hic distinguendum est inter Ritus.
8. Ritus utiles dicimus seruandos esse, scilicet propter bonum ordinem.
9. Sed sciendum est, extra casum scandali omitti posse has traditiones sine peccato.
10. Qui verò in Ecclesijs emendatis violant tales ritus cum scandalo, peccant.
11. Superstitiosos ritus dicimus taxandos esse.
12. Nec pertinacia eorum laudanda est, qui cum cognoscant doctrinam veram esse: tamen acerbè flagitant omnes ritus, & sic errorem in ignaris & dubitationes in imbecillioribus confirmant, quos ritus falsò etiam propterea dicunt Adiaphora.
13. Et tamen usus libertatis in his ritibus ita moderandus est, ne imperiti offendantur; & propter abusum libertatis fiant iniquiores veræ doctrinæ Euangelij, & ne sine probabili causa mutetur aliquid in usitatis ritibus: sed ut propter concordiam ij seruentur mores, qui sine peccato & sine magno incommodo, seruari possunt.
14. Deniq, ritus impios, qui sine peccato non possunt seruari, ut est traditio de celibatu &c. simpliciter censemus reiiciendos.

Vide Zepperi politiam Ecclesiasticam Herborn. 95.

Bernh. Textoris obs. practicas. Herborn 92.

D. Amlingi & Theol. Anhalt. scriptis pro reform. Eccl. &c.

Item Examen Thesen Mylionarum Fischeri. Ha.  
nou. 97. De

*De Magistratu Politico.*

I.

**D**E ordine Politico vniuersaliter docet verbum Dei, hunc ordinem à Deo institutum, & opus Dei esse, quantum boni in gubernatione reliquum manet.

2. Voco autem Politicum ordinem non iniustas perturbationes ordinis, sed ipsas leges cum ratione congruentes, societatem civilem coniungentes, vt multitudini certi homines præ sint.

3. Hic ordo aliàs magis, aliàs minus integer est: aliàs plus, aliàs minus est in eo confusio.

4. Discernendus autem est hic ordo à personis seu vitijs personarum & à miserijs.

5. Nam ordo politicus per se est res bona, pulchra, grata humano generi & singulare Dei opus.

6. Partes ordinis Politici sunt duæ: Magistratus & subditi.

7. Magistratus Politicus est persona ordinata à Deo ad conseruationem Legis in externa disciplina, & quidem vtriusq; tabulæ Decalogi, & ad pacis defensionem, & habet potestatem puniendi vi corporali.

8. Officium magistratus consistit in his quatuor: primum sonet uocem Decalogi in genere humano: deinde sit executor Legum Decalogi in puni-  
enda

enda earum violatione, vi corporali: tertio addas aliquas Leges Decalogo, id est, legibus naturæ de civilibus negocijs. Sed hæc additiones non pugnent cum legibus naturæ, verum sint determinationes certarum circumstantiarum, additæ communibus noticijs naturalibus. Quarto sit executor etiam suarum legum in pœnis vi corporali.

9. Ac pertinet etiam emendatio Ecclesiarum præcipuè ad magistratus officium: præsertim cessantibus Episcopis aut aduersantibus Euangelio.

10. Subditorum nomine intelligitur multitudo, quæ regitur, quæque obedientiam Magistratui debet.

V. Supra de Lege, Antinomorum obiect.


Item Sphæram Ciuitatis I. Casu.

---

## XX.

### *De Coniugio.*

I.

 Coniugium est legitima & indissolubilis copulatio vnus maris & vnus foeminae, instituta diuinitus, vt agnoscamus Deum esse mentem castam, & ei in castitate seruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Ecclesia Deo.

2. Hunc ordinem sanxit DEVS initio in hoc dicto: Gen. 2. Erunt duo in carnem vnã, videlicet vnus mas & vnica foemina inseparabiliter iuncti.

3. Dam

3. Damnamus igitur legem Pontificiam, quæ prohibet sacerdotibus coniugia, & causam præbet exitij magnæ multitudini hominum, & ob eandem causam vota cœlibatûs in ijs improbamus, qui non sunt idonei ad vitam cœlibem.

4. Ut autem sit legitima ista coniunctio, restrictiones de Personis &c. seruandæ sunt, ne concedatur commistio personarum, quibus iure diuino non est concessa in Republica.

5. Personæ istæ, quas non licet coniungi iure diuino, recitantur Leuit. 18.

6. Sciendum enim, Leges, quæ ibi recitantur, esse leges naturæ & obligare omnes gentes, sicut expressè dicit textus Aegyptios & Cananæos puniri propter inceastas libidines.

7. Ad discenda numeratio graduum, consanguinitatis & affinitatis.

8. Consanguinei siue cognati sunt, ut Iustinianus inquit, ab eodem orti & propagati: Estq; consanguinitas vinculum personarum, quæ propterea, quòd ab eodem stipite ortæ sunt, sanguinis & naturæ societate propiùs iunctæ sunt.

9. Discernuntur autem Lineis & Gradibus.

10. Linea est duplex, Recta & obliqua.

11. Recta est ascendentium vel descendentium.

12. Obliqua est collateralium. Estq; æqualis vel inæqualis.

13. Gradus est interuallum, quo cognoscitur quæ persona stipiti prior sit.

14. Vsitata-

14. Usitata autem consuetudo numerandi gradus  
hoc tempore & expeditior hæc est :

15. Primum in linea recta, videlicet ascendentium  
vel descendentium, quot sunt personæ, tot sunt gra-  
dus, demto stipite, à quo inchoanda est supputatio.

16. Ac de rectâ linea traditur vetus sententia : nul-  
los ascendentes & descendentes inter se posse con-  
nubium contrahere,

17. Deinde in linea obliqua æquali, quoto gradu  
distat altera persona à communi stipite, toto gradu  
inter se distant.

18. Hic Lex diuina coniugia non prohibet, nisi in  
primo gradu.

19. In linea inæquali, quoto gradu remotior distat  
à stipite, toto inter se distant.

20. Hic lex diuina primum & secundum gradum  
prohibet.

21. Affinitas est propinquitās personarum, quæ  
non sunt iunctæ copulâ carnali.

22. De qua regula traditur : quoto gradu quispi-  
am est mihi consanguineus, toto gradu vxor eius  
est mihi affinis.

23. Additæ sunt autem diuinis prohibitionibus  
& humanæ quædam in proximis gradibus, vt ma-  
iore reuerentiâ diuinæ prohibitiones obseruentur.

24. Sed discrimen est prohibitionum diuinarum  
& humanarum.

25. Diuinæ enim nequaquam solui humanâ aucto-  
ritate possint : sed interdum probabilis ratio incide-  
re potest, quare humanæ prohibitiones laxentur.

C 5

26. Cæ.

26. Cæterum prohibitiones de cognatione spiri-  
tuali prorsus reiiciendæ sunt, qualis est, ne quis  
ducat eam, cuius Baptismo affuit.

27. Porro ad coniugium consensus contrahenti-  
um etiam requiritur, qui expressus esse debet.

28. Et ab hoc consensu absit error & violentia.

29. Aequus consensus parentum in sponsalibus ita  
requiritur, ut cum non accedit, concedamus etiam  
ante commixtionem rescindi desponsationes.

30. De diuortijs firmissimè tenenda est Regula;  
peccare eos, qui vel adulterio, vel desertione initi-  
um faciunt distractionis: atq; hi etiam conde-  
mnantur voce docentium in Ecclesijs & Iudicium  
in consistorijs, & à magistratibus seuerè puniun-  
tur.

31. Sed personæ innocenti, cum re cognita pro-  
nunciatur esse libera, non prohibetur coniugium,  
ut Deum inuocare & piè viuere possit.

32. Cum enim expressè Dominus liberet perso-  
nam innocentem, Matth. 19. cum altera polluta  
est adulterio, intelligenda est liberatio non tantum  
nomine, sed re. Et Paulus eodem modo loquitur  
in casu desertionis.

Vide Bezam de repudijs & diuortijs.

Item eiusdem de Polygamia &c.

V. 1. part. Exercit. Theol. Ursini p. 477. & seq.

Epistolam Bezæ 84. & 91. Et infra libros Antipap.

Item Caluini epistolas. Reliqua enim vendicant  
sibi Iurisconsulti & iudicia ecclesiastica.

Item Thesaurum Oeconomicum I. Casi.

*Index*



*Index capitum Doctrinalium  
vel disputationum.*

1. De Deo Patre.
2. De Deo Filio.
3. De Deo Spiritu sancto.
4. De lege Diuina.
5. De Euangelio.
6. De peccato.
7. De Libero Arbitrio.
8. De Iustificatione.
9. De bonis operibus.
10. De Ecclesia.
11. De Sacramentis.
12. De Baptismo.
13. De Pœnitentia.
14. De Coena Domini.
15. De inuocatione.
16. De cruce & calamitatibus.
17. De locis consolationum.
18. De libertate Christiana.
19. De Magistratu politico.
20. De coniugio.

Pleniores Theses habes in Aphorismis ex In-  
stit. Caluin. Iohan. Piscatoris.

Et Idea Theologiæ D. Vorstij.  
Item apud Polanum, Fennerum &c.

Cæterum

Cæterum, quandoquidem ad superiorum lo-  
corum orthodoxam doctrinam vel obiectionibus  
illustrandam, vel oppugnandam plerique loci Bel-  
larminiani incurrunt, visum fuit in adultiorum pro-  
uectiorumq; gratiam hic indicium facere contro-  
uersiarum Tripartiti operis Bellarmini.

*Prima ergo partis vel Tomi con-  
trouersia sunt 7.*

1. De verbo Dei.
2. De Christo.
3. De Romano Pontifice.
4. De concilijs & Ecclesia militante.
5. De membris Ecclesiæ, Clericis, Monachis.
6. De Purgatorio.
7. De Ecclesia triumphante, de Sanctis, Beatis, de I-  
maginibus, de cultu Sanctorum.

*Secundi Tomi,*

1. De Sacramentis in genere.
2. De Baptismo.
3. De confirmatione.
4. De Eucharistia.
5. De sacrificio Missæ.
6. De Pœnitentia.
7. De extrema unctione.
8. De ordine.
9. De Matrimonio.

*Tertij Tomi.*

1. De



1. De gratia primi Hominis.
2. De amissione Gratiae, & statu peccati.
3. De Reparatione Gratiae tres controuersiae principales. Vna de Gratia, & libero arbitrio.  
Altera de iustificatione Impij.  
Tertia de bonis operibus & fructibus iustificationum.

Accessit IV. tomus Anno 1601.

In Antithesi Papisticarum controuersiarum Tomi primi Bellarmini, videantur cum alij tum Danaeus. Item Francisci Iunij animaduersiones ad controuersiam primam Bellarm. Lugduni 1600. Cuius capita sunt.

1. De verbo Dei 2. Item de verbo Dei. 3. De verbi Dei interpretatione 4. De verbo Dei non scripto.
- Eiusdem Iunij Animaduersiones ad controuersiam secundam Bellar. Raphel 1600. cuius cap. sunt.
1. De Deo. 2. De Christo. 3. De incarnatione. 4. De Christi anima. 5. de Christo Mediatore.

Eiusdem Iunij Animad. ad Tertiam controuersiam de summo Pontifice. Comelin. 1601.

Cuius capita, ut & seq; aliorumq; huc ascribi poterunt.

Disputatio Gulielmi Vitakeri de S. Scriptura aduersus Bellar. Herborn. 95 & contr. Stapletonū.  
Prælectiones Vitakeri de Ecclesia contra eundem Bellarm. Contabrigiæ & Herborn.

Sibrandi Luberti de Romano Pontifice lib. X. collati cum Bellarm. Francerae &c.

Sibrandi Luberti libri 5. de concilijs contra Bellar.  
Geneu. 1601. In

---

In genere contra errores Pontificiorum recentissimi libri.

Ph. Mel. contra impios articulos Bauar. Inquisit. Examen concilij Tridentini Kemnicij.

Pezelij catechismus Iesuiticus.

Polani Sylloges Thesium Theol. & disputationib.

Bellarmini præcipuè oppositarum. Pars 1. & 2. &c. Bas. 1601.

G. Vitakeri contra Campianum & Duræum &c. Antonij Sadaelis monumenta &c. præcipuè contra Turrianum.

---

Item NB.

Catholicus reformatus Gulielmi Perkinsij Hanou. 1601. In quo seqq. capita controuersa tractantur & obiectiones refutantur De

1. Libero arbitrio.

2. Peccato Originali.

3. Certitudine Salutis.

4. Iustificatione.

5. Meritis.

6. Satisfactionibus pro peccatis.

7. Traditionibus.

8. Votis.

9. Imaginibus.

10. Reali præsentia.

11. Sacrificio Missæ.

12. Ieiunio.

13. Statu perfectionis.

14. Ado-

14. Adoratione Sanctorum.
15. Intercessione Sanctorum.
16. Fide implicita.
17. Purgatorio.
18. Primatu.
19. Efficacia Sacramentorum.
20. Fide iustificante.
21. Poenitentia.
22. Peccatis Ecclesiae Rom.

Is, Cheironij ad Porfani Iesuitæ admonitiones  
&c. Catholica responsio seu breuis collatio de con-  
trouersijs inter Orthodoxos & Pontificios Geneuæ  
Preux. guo. 1601.

---

Disputationes Theologicæ D. Balth. Mentzeri op-  
positæ Ioanni Pistorio 2. Editio Marpurg. 1601.

Cuius libri capita sunt De

1. Sacra Scriptura, eiusq; auctoritate.
2. Scripturæ sacrae perfectione.
3. Vero sacrae scripturæ sensu, & interpretatione.
4. Ecclesia.
5. Iustificatione hominis peccatoris coram Deo.
6. Inuocatione Sanctorum.
7. Imaginibus & reliquijs sanctorum.
8. Vera præsentia corporis & sanguinis Christi in  
sacra cœna.
9. Duratione unionis Sacramentalis & adoratione  
Eucharistiæ, & de festiuitate corporis Christi.
10. Sacrificio Missæ.

Alter

10. Sacrificio Missæ.

11. Altera vel vtraq; specie in Sacramento altaris.


12. Sacrificio & oratione pro defunctis & simul de purgatorio.

13. De cœlibatu sacerdotum & clericorum.

14. De Antichristo.

**D.** Danielis Arcularij comment. & disputationes in Augustanam confessionem &c. iam primùm disputationibus & refutationibus aduersariorum solidis aucta per Ioannem Regium Borussum. Mulhusij Spies. 1601.

F I N I S.



Jm 2381





**ULB Halle** 3  
005 131 618

A standard 1D barcode is located below the library identification number on the label.

DA  
A.C.







e.  
5  
4

*Pericope*

**DOCTRINA=  
RVM EXAMINIS  
THEOLOGICI D.  
PHIL. MELAN-  
CHTHONIS**

*In Aphorismos, vel The-  
ses distributa, vel itatio-  
nibusq; scholasticis mo-  
deste agitata &  
disputata*

ab  
Alumnis Gymnasij Illustris,  
Ppr. Anhalt.  
Præside  
*Alberto Voito Borusso.*

SERVESTAE  
Typis Joh. Schlerij. Anno 1602.

25

